



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -  
Cum Indicibus

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1674**

Cap. IX. Ad tit. XXVIII. capit. I. de officio Vicarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10241**

*præcinctus.* Dicitur etiam Fulberto *epist. 103.* Capitarius, apud Codinum, *Σκευοφύλαξ lib. 1.* Propter hujus officii gravitatem, continua ab eo requiritur residentia.

Σκευοφύ-  
λαξ.

Officium Custodis est inter dignitates, non nudum ministerium. Refertur enim *cap. ult. h. t.* à Concilio Toletano inter tres columnas Ecclesiæ, post Archidiaconum & Archipresbyterum: Sed de hoc nihil certi definiti potest, propter varias Ecclesiarum consuetudines, ad quas omnia hæc officiorum & dignitatum jura referri debere benè monet Glossa.

Custos, offi-  
cium digni-  
tatis.

## CAP. IX.

## Ad tit. XXVIII. capit. I. de officio Vicarii.

## S U M M A R I A.

1. Vicarius Episcopi.

3. Missus.

2. Officialis.

4. Creditus Episcopi.

**T**itulus in primâ Compilatione ita concipitur: *De officio Vicarii & ejus beneficio.* Vicarium Episcopus sibi constituere potest, imò & debet. *can. cum simus. 3. caus. 9. q. 3. can. In novâ. 22. c. 16. q. 7. c. quoniam 14. de off. jud. ord. c. Romana. & tot. tit. de offic. vicarii in 6.* Adeo, ut moram faciente Episcopo datio vicarii devolvatur ad Metropolitanum, *c. ult. de suppl. negl. Pralat. in 6.* Hic aliàs & Officialis dicebatur. *cap. ex frequen- tibus 3. X. de Instit. c. in tantum. x. de Simon. c. cum generali. de off. Vic. in 6.* Item & Missus Episcopi, *c. 1. de frig. & malef. ad diffe- rentiam Missorum dominicorum.* Idem dicebatur & creditus Episcopi, & creditarius, apud Gregorium Turonensem *lib. 9. c. 10.* & in vitâ Ludovici Pii & apud Aimon. *Contin. lib. 5. c. 10.* Sed hodie alius est vicarius atque Officialis. Nam vicarius habet jurisdictionem spiritualem, extra judiciale, non contentiosam, quæ in jure judicioque versatur.

Vicarius  
Episcopi.

Officialis.

Missus.

Creditus B-  
piscopi.

In *cap. I.* habetur decretalis Alexandri III. ad Episcopum Norvicensem, de quo *Ecloga 2. c. 12. supm.* Nec non ad Archidiaconum Gualterum; Ita enim sigla G. legenda est, ut codex Tarraconensis & Barcinonensis habent, quibus consonat MStus Salanus. Hugo Presbyter Monachos de Ramefcia. *(Ita enim concilium*

*Lateranense*) & Thomam clericum suum petendo vicariam Ecclesie de Burneliâ (*Bourville, concilium*) à quâ XX. annis retrocessit, in diversis postea Ecclesiis personatum adeptus multipliciter vexare præsumserat. Decidit Pontifex, non esse Canonicum, ut qui curam animarum in diversis habet Ecclesiis, vicarius fiat in alienis. Addit prima compilatio: *d. u. per A. f. præ. m. qua. rei veritate plenius inquisitâ si ita esse noveritis, prædictum Presbyterum &c.* Lege: Discretionem vestram per Apostolicæ sedis præcepta mandamus, quatenus rei veritate plenius inquisita, si ita esse noveritis, prædictum Presbyterum à petitione supra dictæ Vicariæ desistere compellatis, *ap. & oc. re.* appellatione & occasione remota districtius compellatis, non obstantibus literis, si quas tacita veritate per nuncium à nobis impetravit. Extirpari etenim debent, quæ de avaritiæ radice procedunt, & canonum contraria sunt rationi vel sanctioni. Ita capitulum II. compilationis primæ.

## CAP. X.

## Ad cap. II. &amp; III. de officio Vicarii.

## S U M M A R I A.

1. Inscriptio Capituli.

3. Pars capituli nostri.

2. Elis.

Inscriptio  
Capituli,  
Elis.  
Pars capi-  
tuli nostri.

**I**Nscriptio apud Raymundum ita concipitur: *Eliensi Episcopo P. C.* Elis est urbs primaria provinciæ in Peloponneso. Sigla P. C. denotant: *Pars capituli.* Sed cujus? Vetus Tarraconensis, ait A. Augustinus, *Venientes*, habet. Sed rectius: *Veniens*; ex parte 39. c. 5. & 6. post concilium Lateranense, cujus titulus est: De vicariis monachorum & aliorum: Ita autem habet: *Veniens ad nos P. Rector Ecclesie de Gestan. suâ nobis insinuatione proposuit, quod ipse Johanni de Fescam (sive Hocham.) qui multos habet ecclesiasticos redditus & Vicarias in Ecclesiis pluribus vicariam de Gestan. sub annuâ trium marcarum pensione concessit, cum redditus illius Vicariæ quatuor marcas valeant annuatim &c.* Sic & in cap. adhec. 3. h. 1. Inscriptio sic habet: *Wintoniensi Episcopo pars c. quamvis si-*  
mus.